



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Ivdiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

Caput III. De institutione ordinis judicarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

## C A P U T III.

DE INSTITUTIONE ORDINIS  
*Iudicarij.*

**E**xplícatis quibusdam de Iudiciis in genere, priusquam veniamus ad alios judicii actus; præmitti debet dissertatio de foro competenti, quæ totius judicij contentiosi fundamen-tum est; & quia ex aliena jurisdic-tione ad judicem vocatus venire tene-tur: proinde sit.

## T I T U L U S. I.

## DE FORO COMPETENTI.

## C A S U S.

**A**lcibiades cùm è Sicilia citaretur ab Atheniensibus, ut criminibus responderet; obtemperare noluit, stultum esse, inquiens, judicium quæ-rere cùm possis fugere. Cuinq; dice-ret aliquis: non igitur fidis patriæ de-te judicaturæ? Ino, inquit, ne matri quidem timerem enim, ne forte per

D 2 im-

imprudentiam albi calculi loco, ni  
grum immitteret. *Ælian: lib. 13.* Qua  
ritur num Siciliæ Magistratus com  
prehensum Alcibiadem judicare po  
tuisset? *Resolut: pete ex num. 7. & 8.*

### C O N C L V S I O.

#### II.

**F**orum competens pressè sumptu  
hic vocatur tribunal, cui⁹ jurisdicti  
ni reus subjicitur: nam de foro prima,  
tritissima regula est. Actor sequi deb  
forum rei. *cap. si Clericus. 5. hoc tit. L. 2. 6.*  
*C. de jurisd. om. Iud. L. ult. C. ubi in rem adi*  
Reus autem forum sortitur, seu juris  
ctioni subjicitur, præcipue quatuor mo  
dis: ratione *Domiciliij. Delicti, contractus,*  
*rei in territorio sitæ.*

2. Domicilium forum tribuit: & ho  
triplex est. Primum: *Respublica.* Alter  
num: *Origo.* Tertium: sua cuiq; volun  
tas facit. *Respublica commune domici  
lium, atque patriam nobis Romam faci*  
*sed extraordinariè cap. ult: de foro comp: L.*  
*§. Romæ, ff. de excus: test: ut propterea adve*  
*na Romæ repert⁹, ibidem conveniri po*

sit, quacunq; ex causa seu delicto agatur,  
etiam alibi commisso. L. 2. §. Legatis L 24.  
¶ 26. ff. de jud: exceptis Legatis evocatis,  
judicandi aut testimonii dicendi gratia.  
Item qui appellandi, tutelæ reddendæ,  
petendæ restitutionis in integrum causa,  
aut in negotiis Ecclesiæ suæ, Romam ve-  
nerunt: his enim nisi periculum in mora  
sit; jus litem revocandi domum suam da-  
tum est, ad forum nempè domicilii, ubi  
melius instructi sunt; cit. cap. ult. cit. L. 2.  
§. Legatis, ¶ L. 8. 24. 25. & seq. ff eodem. Un-  
de hęc revocatio dicitur exceptio fori de-  
clinatoria ratione personarum.

3. Origo in ea cuiq; civitate domicili-  
um tribuit, in qua Pater oriundus est, vel  
in qua quis à Matre non transeunte tan-  
tum, aut ad breve tempus commorante,  
(si alibi domicilium fixum habuit) sed in-  
habitante natus est L. Cives. 7. C. de incolis  
lib. 10. L. Assumptio 6. §. 1. L. 11. §. Patris, &  
§. in adoptiva. ff. ad municip. Et licet migra-  
verit originarius, constituto alibilare; in  
loco tamen originis si reperiatur, conve-  
niri potest. L. incola 29. ff. ad municip: L. pen:  
C. de incol. Gail: lib. 2. obs: 36. contra Menoch:

**s. præsumpt: 42. n. 5.** Verum licet domicilium originis conferat diversos effectus, ut ad Ordines suscipiendos ab Episcopo originis, non minus quām ab Episcopo beneficij aut domicilii, attamen in ordine ad jurisdictionem acquirendam, quām maximē spectantur domiciliū habitacionis, aut beneficij residentiam postulantis quod sua cuique voluntas domicilium facit, ubi larem, rerumq; suarum fortunam constituit, **L. Cives. 7. de incolis. Ratio:** qui hoc absolute jurisdictioni hominem subicit: at verò domicilium originis secundum quid', ut scilicet conveniri possit ibi duntaxat si in loco præsens sit ut docet Barth. **incit. L. assumpcio.** Quin imo testatur Gail: lib. 1. obs: 36. in Germaniâ nostri per arbitrariam domicilii mutationem amitti jura originalia, tum quoad munera, & præstationes, tum quoad jurisdictionem, adeò, ut in quibusdam civitatibus ob hanc liberationem, quidpiam secundum bonorum æstimationem penitendum sit. **L. domicilium. 20. ff. ad municip.**

4. Si petas prærogativam domicilii habitationis in quo sistat? **Dico.** in duabus po-

tissi-

tissimum. 1. quod Judex habitationis do-  
micii jurisdictionem habeat in personā,  
etiam dum extra territorium, seu diœce-  
sis moratur: cùm enim absolute subdita  
sit, & non secundum quid, non tollitur ei  
subjectio per egressum: Unde etiam ab-  
sentem constringere potest arg: cap. cum  
contingat. 13. deforo comp: non quidem cita-  
tione reali, seu captura (hoc enim actu ju-  
diciali violaretur jurisdictione aliena) sed  
verbali: quippe quæ in proprio territorio  
decernitur, licet eius intimatio per nunti-  
um foris fiat. Atq; hac ratione Clericus v.  
g. per præceptum ac sententiam Episcopi  
etiam extrà territorium p̄cipientis, pro-  
pter contumaciam excommunicari po-  
test. Laym: lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7. Dico de-  
inde, quod subditus ratione domicilii ex-  
tra territorium delinquens (nisi à Judice  
delicti præventus fuerit) citari, puniri,  
imò ob contumaciam etiam absens ex-  
communicari possit à Judice domicilii. ut  
benè Ioan: And: & Imola in cap. 3. deforo  
comp. Vide Titulum 2. cap. 3. conclus: 4.

5. An quasi domicilium vim aliquam  
conferat? Recte, si enim habitatio trans-

feratur animo consistendi, negotii caus  
ad tempus non breve, sed ultra medium  
annum, forum sortiuntur, videlicet stu  
diosi, famuli, milites, præsidiarii, &c. ut  
interim dum ibi agunt conveniri possint,  
super contractibus, & delictis etiam alibi  
commisis, per Gl. in L. 2. C. ubi de crimini  
bus. Abb. in cap. Clericis. n. 5. & cap. cum con  
tingat n. 29. de foro comp. Quod & in pœn  
tentia foro atque Sacramentorum ( ex  
cepto Ordinis ) administratione locum  
habet. Sanch. lib. 3. de Matr. disp. 23. n. 11  
ad eò ut talis persona si alibi domicilium  
saltem paternum fixum habeat, utriqu  
Parocho v. g. sua peccata confiteri possit  
Idemque procedit, & longe magis si qui  
pluribus in locis plenè instructus sit, ne  
min' in uno loco, quam in alio loco com  
moretur, totidem locis domicilium ha  
bere censetur. L. 5. & 6. §. pen. L. 27. §. ad  
sus ff. ad municip. tametsi Labeo existimet  
huiusmodi nusquam domicilium habet  
quod verum est in casu, quo quis domi  
lio proprio relicto navigat, vel iter fac  
quærens quo se conferat, aut ubi se con  
stituat. L. eius 47. Celsus in fin: ff. ad munici

6. Ratione delicti advena eius Judicis  
 forum sortitur, in cuius territorio delin-  
 quit. *cap. postulasti 14.* & *cap. ult. de foro com-*  
*pet. L. 1.* & *Authen: C. ubi de criminibus.* in-  
 tellige contra leges juris communis aut  
 divini: ut si v. g. peregrinus blasphemet,  
 carnes interdicto die comedat; non au-  
 tem si delinquat, aut contrà leges huma-  
 nas peccet particularis diœcesis: certè pe-  
 regrinus eo in loco carnes comedens ex-  
 communicationem; si forte in pœnam e-  
 dentium statuta sit non incurret: cum nō  
 teneatur generalibus sententiis ac statu-  
 tis loci propriis *Laym: lib. 1. tr: 5. p. 1. cap. 4.*  
*tr: 4. cap. 12.* Nec obstat quod in foro Sa-  
 cramentalis pœnitentiæ, non ita, ut in ex-  
 terno subjiciatur alicui, in cuius diœcesi  
 aut Parochia deliquit: quia in externo fo-  
 ro Reus Rempublicam offendit, ut pro-  
 inde ibi puniri debeat ubi deliquit, ad a-  
 liorum exemplum. *Auth: ut nulli judicum*  
*§. si verò quis collat. 9..* At verò judicium  
 pœnitentiæ tendit ad abolendam offen-  
 sam DEI, & ideo à proprio Pastore fieri  
 debet, *cap. omnes utriusq; sexus. de pœn.* & *re-*  
*med: quem Deus ut ministrum, seu Vica-*

rium homini constituit. *Abb.* in cap. contin-  
gat de foro comp. Id verò peculiare est in va-  
gis, seu nullibi fixum domicilium haben-  
tibus, quod in externo foro puniri pos-  
sint, & in sacramentali absolutionis foro  
judicari de delictis ubi cunq; commissi;  
quare dici solet, *quod vagus ubiq; forum fori*  
*titur. G. in L. 1. ( ubi de criminibus. ) Covar:* in  
*pr. q. cap. 11. n. 17.*

7. Occasione dictorum controverti  
solet: Si in Diœcesi Salisburgensi manda-  
rit Caius famulo percussionem Clerici; ea  
autem in Viennensi facta sit, utrius Judi-  
cis sit cognitio? *Placent Abb.* in cap. ult:  
*Fel: n. 14. de foro comp.* docentes Caum fieri  
subjectum Episcopo Viennensi, quia lo-  
cus cædis, non etiam mandatis spectandus  
est. Idemq; docet Clarus in practicis. q. 3.  
*n. 7.* de ratum habente quod suo nomine  
in aliena Diœcesi homicidium commis-  
sum est. Sed & idem aliqui sentiunt, si in  
alterius Provincia inchoatum, in alterius  
consummatum sit scelus, v. g. alibi tor-  
mentum excussum, alibi occisus homo  
alibi falsum instrumentum scriptum, ali-  
bi productum: vel alibi rapta, alibi stu-

prata

prata, alibi vincitum, alibi spoliasti: Barth:  
*L. libellorum n. 7. ff. de accus:* Præstat tamen  
 ut dicamus, reum in huiusmodi casibus  
 ab utroque sæculari judice aut Ecclesia-  
 stico, si reus sit Clericus, citari, ac puniri  
 posse, & locum dari præventioni, sicut si  
 quis in confiniis hominem occidat. Abb:  
*cit. cap. ult. n. 25. Clarus §. fin: q. 38. num: 9.*  
 Farin: n. 46. Falleris extendendo prædi-  
 ctos casus ad casum in quo vulnus homi-  
 ni in hac Diœcesi inflixisti, qui inde abi-  
 ens, mortuus est in altera: præferendum  
 namque asserimus Judicem loci in quo  
 percussio facta est: eâ nixi ratione, quod  
 ibi censeatur commissum delictum, vide  
 licet homicidium, ubi causa efficax posita  
 est. Barthol: *loco citat. arg: L. 21. ff. ad L. Aquil.*  
 Atque hæc faciunt ut intelligamus Eccle-  
 siam pollui per injuriosum, & notorium  
 homicidium, aut sanguinis effusionem, si  
 percussio hominis in Ecclesia facta sit, ta-  
 metsi is forâs se recipiens ibi sanguinem  
 fundat, aut moriatur: non pollui autem  
 Ecclesiam si foris percussus intro se reci-  
 piat, & moriatur, vel sanguinem fundat.  
 ex communi DD.

8. Altera controversia est: An si Clericus in hac Diœcesi crimen committes, ob quod spectato communi jure puniendus sit, citatione præventus fines loci, in quo deliquit excederit: ab Episcopo alterius Diœcesis, in qua delinquens degit, aut latitat, citari ac capi possit? Respondet posse: per L. si cui 7. §. ultim. ff. de accusat: & Auth: ut nulli Iudicium. §. si verò collat: 9. non quidem ut eum ipsem punit, (nisi consuetudo regionis, de quo infra, permittat Gail: lib. 1. de pace pub: cap. 16. n. 30.) Sed ut eum ad Episcopum delicti, seu potius domicilii, aut beneficii remittat; quia idem etiam in seculari foro servatur, si territoria sub eodem Principatu sint: ut constat ex cit. Auth: & Covar: pr. q. cap: 10. n. 11. constat autem Diœceses omnes sub eodem Principe, videlicet Papa, qui publica legi Clericos facinorosos constringi ac puniri jubet. cap. 1. de off. ord: cap. et si Clerici. 4. di judic. Igitur unus Episcopus alteri auxiliū præbere potest, & sæpè debet: præferunt si reus contumaciter in censura, juris aut hominis perseveret, cum continuo delinquat, & Ecclesiam offendat; conse-

quen-

Si Cle-  
nittēs,  
inien-  
ci, in  
po al-  
degit,  
pondeo  
sat: &  
9. non  
si con-  
mittat  
Sed u-  
us do-  
i idem  
errito-  
onstat  
i. con-  
odem  
ta lego  
punin  
i. 4. di  
uxili-  
ræser-  
juris-  
tinuo-  
onse-  
quen-  
quenter subjacet aliquo modo Episcopo-  
loci, ubi moratur, saltem ut ad emenda-  
tionem, & absolutionem petendam com-  
pelli possit.

9. Sed quid si ministri justitiæ Reum  
persequentes in fuga deprehendere non  
possint, nisi limites jurisdictionis alienæ  
ingrediantur: quid factō opus? *Respondeo*  
desistere debent post fines proprios: quia  
capturam realēm exercendo in territorio  
alieno jurisdictionem invaderent. Quare  
tali mōdo captus contra jūra, statim rela-  
xandus esset teste *Gail: cit. lib. 1. c. 16. n. 25.*  
*ex communi DD.* Nisi sint latrones, prædo-  
nes, aut similes pacis publicæ violatores.  
Multoq; magis id procedit de Religiosis  
fugitivis, aut apostatis, quod à Prælato  
Ordinis, aut ex mandato eiusdem, ubiq;  
capi, & reduci possint. *Bald:* communiter  
receptus in L. I. C. ubi de curiali; ob per-  
sonalem eorum obligationem. Idemque  
est de conjugē erga fugiētem conjugem,  
& de Domino erga servum, seu mancipi-  
um. Alii verò, ut dictum, si in fuga lati-  
tent, ita ut citari nequeant, aut ad eos ci-  
tatio peryenire non possit; *juxta Panor:*

*in cap:*

*in cap:fin.b.t.citabuntur per edictum in loco delicti promulgandum, & valvis portarum, vel Ecclesiarum affigendum: pereat, quæ habentur in Nov. nulli judicum. §. si quis verò ad hoc scilicet, ut missio fiat in possessionem bonorum, quæ in loco delicti habet, non ut quidquam in eius personam statuatur. Panor. cit. cap. fin. n. 6. Et si crimen fuerit atrox, poterit Judex delicti requirere judicem domiciliis seu loci, in quo degit, aut latitat ut ipsum citet, & remittat: eiq; Judex rogatus ( si nondum ipse castigaverit eum præmissâ summaria cognitione super veritate delicti ) obsequi debet & delinquentem remittere, ex iuris communis dispositione: quāquam hodiè plurib' in locis de consuetudine contrarium servetur: si verò crimen levius sit, non habet locum remissio, sed delinquens ubicunq; reperitur condignâ pānā punitur. L. 1. C. ubi de Crimin.*

10. Verum à minori ad maius procedendo, Judex ordinariè loquēdo non potest sententiam pœnæ inflictivam extendere extra territorium aut Diœcesis suam; ex com: DD. in L. relegatorum. 72. S. ejus quod.

quoddam genus. ff. de interdict: ubi aiunt, quod Iudex non potest aliquem relegare ad locum non subjectum jurisdictioni: quia executio est actus jurisdictionalis, qui extra territorium fieri nequit, c. 2. de const: in 6. Nisi alter Jūdex ad cuius forum sententia dirigitur, eam exequi paratus sit: ut si Clericus ob crimen condemnetur ad fodiā alterius Diocesis: aut nisi poena crimiñi decreta sit: per Legem utriq; Judici observandam, tunc illata à Judice delicti, executioni dabitur à judice domicilii, vel beneficii, si ad eum locum referatur; cap: postulaſti. 14. de foro comp. Exemplo sit, Canon Ecclesiæ jubet, cap. Presbyt. 12. dist. 81. Clericum ob crimen perjurii, incestus, aut adulterii ab officio & beneficio deponi: accidit autem ut alterius Diocesis Parochus hic in crimine deprehēsus sit: potest quidem Episcopus Neostadiensis eum remittere ad Ordinarium suum, sed non tenetur. Igitur hoc casu Episcopus delicti infliget poenam depositionis, aut privationis: cit. cap: postulaſti: alter autem Episcop' exequi debebit juxta Canonis præscriptum actualiter hominem à Parochia remo-

removendo. Neque hoc casu Episcopus  
Ordinarius hominem post aetam pœni-  
tentiam restituere poterit: nisi Episcopus  
alter consentiat, seu a se latam sententiam  
relaxet. *arg. cap: pastoralis. 11. §. præterea di-*  
*off. Ordin. ubi Abb: & alij docent: Quod cen-*  
*surâ & sententiâ judiciali ligatum, is solum ab-*  
*solvere possit, qui eam tulit, aut eius successor,*  
*aut superior..*

II. Infero, si Episcopus Clerico bene-  
ficiario suopte arbitrio, ob contumaci-  
am, aut crimen, inferat privationem, au-  
suspensionem a beneficiis, extendetur  
haec pœna duntaxat ad beneficia Diœce-  
sis. *Felin: postulaſti de foro comp.* Nisi pœna,  
aut censura, seu per legem, seu per homi-  
nis sententiam inficta, afficiat personam  
absolutè, non in ordine ad locum. Talis  
est excommunicatio, quæ territorio non  
clauditur, sed sequitur personam, velut  
lepra leprosum. Item interdictum per-  
sonale. *Abb: in cap. postulaſti. n. 11. cap. ad re-*  
*primendam. n. 2. de off. Ord. vel si cui ingreſ-*  
*sus Ecclesiæ interdictus fit. capit. 15. & 21.*  
*de ſent. excom: in 6.*

12. Sed & depositio absolutè illata  
Cle-

Clericum inhabilem reddit ad qualemque beneficium retinendum, aut acquirendum, nisi cum eo dispensetur: *Suar. de Conf: disp: 31. S. 1. num. 5.* Sic & ad mortem. damnatus, adeoq; libertate privatus, pœnæq; servus effectus, & publicè condemnatus de criminis, quod infamiam infert, v. g. de furto, ubiq; locorum infamis, aut pœnæ servus permanebit. *Barth: in L. sunt quidam. 19. ff. de pœnis. Abb. cit. n. 11. & constat ex L. non potest. 63. ff. de furtis.*

13. An Advena in alieno territorio delinquens puniendus sit secundum statuta & consuetudines loci delicti, an domicili? *Respondet Barth: in L. 1. n. 20. Bald: ibid. n. 22. C. de sum: Trin:* Si factum in utroq; loco seu communi jure prohibitum sit, tunc puniri debet secundum statuta loci in quo deliquit: quia delinquendo subditus fit jurisdictioni. Nec obstat: tametsi nesciat pœnam statuti; quia consentiendo voluntariè in delictum, interpretativè consentit in pœnam, ut propterea per quandam consequentiam obnoxius fiat pœnæ, nisi ea valde extraordinaria sit, aut nisi censura in pœnam lata sit, quæ id speciale.

ciale habet, ut nunquam ab ignorante incuratur, nisi ignorantia crassa aut supina sit: ita Barth. cit. Sed hujus opinio merito nobis displicet quoad eam patrem, dum asserit: ignorantiam pœnæ lege statutæ in censuris tantum, non autem in aliis excusare, ab incidentia pœnæ: quia consensus interpretatus in pœnam non est admittendus formaliter, quando non est consensus, in delictum formaliter, prout talis pœna causa est: sed committens voluntariè delictum, quod nescit invincibiliter causam esse talis pœnæ non consentit in delictum formaliter, ut causa est ergo. Et est sententia non tantum Felim: sed etiam Soar. To. 5. in 3. p. d. 4. S. 9. Sanchi lib: 9. de matr: disp: 32. n. 17. Host: cap. à nobis i. de sent: excomm.

14. Ratione *contractus*, vel quasi contractus, qui incola non est, tum demum forum sortitur, si in loco moram trahat. cap. ult: & cap. 1. h. t. in 6. Fel: in cap. ult: de foro comp: vel inibi negotium aggressus sit: vel tabernam; officinam, aut hortum conduxerit ad vendendum. L. hæres 19. § proinde ff. de jud. Nisi contractus comple-

mell:

mentum, & solutio in alium locum destinata sit, quia tunc non in loco contractus celebrati, sed in destinatæ solutionis loco forum sortitur. *L. contraxisse. 21. ff. de act: & oblig: L. i. C. de jurisd. L. unica C. ubi conven: qui certo loco dare promisit. Covar. pr. q. cap. 10.* Nam veluti contraxisse unusq; in eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit. *L. 21. ff. de oblig. & act.* Alioquin verò peregrinus, aut Mercator præcisè ex contractu, quem fortè transiens, aut non diu moraturus in loco instituit, inibi conveniri non potest, nisi de fugâ; aut de fraude suspectus sit: & tum cogi poterit ad satisdādum, quod solvere velit in loco domicilii: *Gl: in cap. i. de foro compet: §. contrahentes, & §. proinde ver. debebit.* quia durissimum certè foret, quotquot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis conveniri. *L. hæres: 19. ff. de jud: Gail: 2. obs: 36. n: 44.*

15. Unde qui ratione contractus, aut etiam ratione delicti forum sortitus est, non est subditus absolutè, sed tantum in ordine ad locum dum ibi existit. Quare si egressus sit ex territorio, definit esse subditus, quoad personam ita ut ad compa-  
ren-

rendum personaliter per citationes, aut censuras compelli non possit. *cit. §. contrahentes.* ubi *Anchar: Innocent: Abb.* & alij. Si autem requisit<sup>o</sup>, ceu citatus contumaciter non compareat, neq; satisfaciat, fieri potest missio in bona eius, si quæ in loco contractus habeat, juxta *cit. §. contrahentes:* & *Donell: cap. 14. com: 14. & 15. Gail: 2. observ: 36. n. 14.* Sin minus, decernetur missio facienda in bona alterius Diœcesis aut territorii, ad requisitionem Judicis Ordinarii eiusdem loci. Id verò solum discrimin est inter subditum ratione delicti, & subditum ratione contractus, quod ille spectato communi jure remittendus sit ad Judicem delicti, si sub eodem Principe sit, at verò in contractibus non est locus remissioni.

16. Dubitabis de eo, qui per citationem à Judice competenti in loco contractus præventus est, forum illius in ea causa declinare possit? *Respon: Negative,* & constat ex *cap. proposuisti. 19. de foro compet.* ubi expressè: quod legitimè citatus tenetur coram Judice citante causam prosequi; non obstante quod post citationem forum

forum mutaverit: quia ubi Judicium cæptum est, ibi finiri debet. L. ubi acceptum.  
 30. de jud: & patebit ex dicend: tit. de litis cont.  
 Itaq; etiam si aliquis solum per accidens, videlicet ratione contractus aut delicti subjectus sit, si tamen dum in territorio existebat ab Ordinario loci citatus fuerat: postea egressus, iterum citari, atque etiam absens ob contumaciam excommunicari potest. Felin: in cit. cap: ult. deforo comp. n. 4.  
 Quod non procedit in subdito ratione domicilii: tametsi enim hic solo egressu ex territorio, animo mutandi domiciliū, jurisdictione liberetur: per cap. proposuisti.  
 h. t. ex com. DD. Abb: n. 7. excipi tamen debent hi casus. I. Si citatione præventus sit, antequam egredieretur. cap. proposuisti cit. II. Si in loco domicilii contractum instituerit; tunc enim in actoris optione est illum cōvenire in loco domicilii prioris, vel posterioris, præterquam si quis unā cum jurisdictione; etiam statum mutet, videlicet Clericus ordinetur, vel Religiosus fiat. Felin: cit. cap. proposuisti, num. 1. tum ratione contractus antea instituti, similiter ratione delicti commissi (dummodo

modo à Judice sacerdotali per citationem  
præventus non fuerit.) coram Ecclesiastico Judice conveniendum esse docet  
Laym. lib. 4. tr. 7. cap. 4. q. 3. Sed probabilius tenemus laicum patrato delicto factum Clericum aut Religiosum, etiam a nimo subtrahendi se à foro sacerdotali, & cum injuria Judicis sacerdotalis, à quo per citationem præventus est, fieri subditum Judicis Ecclesiastici, non autem sacerdotalis: quia videtur id decisum in L. qui cum uno. §. reus. ff. de re militari: ubi habetur, quod capitalis criminis accusatus, si efficiatur postea miles à Judice militiæ puniri debet. idem que habet L. qui postea. ff. de judicio. Hoc ergò posteriori longè jure procedere debet in Clericatu, quo quis cœlesti militia se adscripsit: & confirmatur opinio nostra exemplo confugientis in Ecclesiasticum delicto commisso, etiam factâ accusatione citatione &c. cuius Ratio est: quod hi utantur jure suo, & privilegium exemptionis à foro sacerdotali absolutè & sine ulla restituzione favet Clericis: ut proinde ubi lex non distinguit, neq; nos distinguere debeamus. L. de pretio ff. de public. in rem ad

17. Idem

17. Idemq; videtur dicendum quoad Clericos, quos ante mutationem status sententia occupavit in loco domicilii. v. g. Episcopus ob præcedens aliquod delictum sententiam tulit aut particularem: *Nisi Titius, qui rem abstulit, intra mensem satisfecerit, in excommunicationem incidat.* Aut generalem: *Qui hanc rem abstulit, nisi intra mensem restituat, excommunicatus sit.* Neutro modo in excommunicationem labeatur injustus rei detentor, aut damnificans, si interea statum cum domicilio mutaverit, quandoquidem in personam à jurisdictione alterius exemptam sententia cadere non potest. Porrò extra controvèrsiam est: si nudum præceptum impositum sit subdito, v. g. Clerico Sacerdoti, ut quot diebus sacrificet ( nullâ eius præcedente culpâ ) postquam is præcipientis jurisdictione solitus fuerit, etiàm à præcepto liber erit. *Sair. lib. 1. cap. 11. n. 19.*

18. Modus fortendi forum *ratione rei*, seu possessionis in territorio sitæ, longè à præcedentibus diversus est; quia nunquam parit obligationem aut actionem personalem. *cap. ult: de foro comp: L. ult: C. uti in rem*

*rem actio:* Sed tantum realem, quæ quidem institui potest non tantum ubi res controversa sita est, sed etiam ubi reus domicilium habet. *L. ult: C. ubi in rem actio.* *L. 10. ff. de rei vind:* *L. 38. ff. de jud:* v. g. Nobilis Græcensis quispiam habeat ædes Vien næ, non est subdita persona; sed ædificium ratione soli: quare nec dabitur actio personalis coram Magistratu Vienensi ad aliquid dandum, vel faciendum v. g. ut ædes quæ donatae dicuntur, donatio tradantur, sed tantum actio realis, si aliis ædes ut suas vendicet, vel hypothecæ nomine obligatas afferat: & hac ipsâ actione reali intentatâ, Persona secundum se constringi, aut ut contumaciamnari non potest. *Ioan: And: cit. cap. ult.* Sed tantum realiter, ut si non compareat actor mittatur in possessionem ædium *cap. ult. ut lite non contest:* §. ult.

19. Neque distinguimus inter res mobiles, vel immobiles, ut *Accur. incit: L. ult.* quasi res mobiles vindicandæ sint, ubi domicilium reus habet: immobiles vel ubi domicilium habet, vel ubi sitæ sunt: quia ut benè Salicet. & Azo citata lex *ulti-*

ma loquitur generaliter, ideoq; de utrisq; intelligendam rebus asserunt, juncta L. 10.  
 & seq: ff. de rei vind: L. 38. ff. de jud: Authen.  
 quia in provincia. C. ubi de Crim. Nec interesse putamus inter singularem vindicationem, & petitionem hæreditatis. Hæc quoq; vel ubi domicilium reus habet, vel ubi bona hæreditaria sunt, instituitur. L. un. C. ubi de hered: L. 25. & 28. ff. de jud: Accurs: ex communi DD. ad dict: L. un.

20. Sed etsi legatum, vel fidei commissum actione in rem petatur, verius est secundum propositam regulam, vel in loco domicilii, vel rei sitæ agi posse. Vultei. ad L. un. C. ubi fideicom. pet. oport. n. 15. & 30. Neque urget, si dicas: res mobiles non posse dici sitas propriè, atque ideo ratione reimobilis, in alieno territorio forum obtineri non posse; quia nusquam jura sic limitant. Non etiam ad rem dices exigi, ut reus in eodem loco reperiatur ad hoc, ut actio in rem institui possit, quia nihil interest utrum in eo loco reperiatur reus, nec ne? ut bene Azo. & Accurs. in cit. L. ult.

21. Si actio mixta sit, quam quis exercere vult, veluti familiæ erciscundæ, com-

E muni

muni dividendo finium regundorum existimat. Barth: ad L. ult: C. ubi in rem idem respondendum quod de actione in rem: nec obscure id Bald. probat L. un: in fine. C. ubi de hered: & Cuiac: in nov. 96. Simmissio in rem postuletur, verius videtur ibi tantum postulandam esse, ubi resistae sunt, quarum possessio postulatur L. un: C. ubi de hered: L. cum unus. 12. §. 1. f. reb: aut jud: poss: Barth: Cuiac.

22. Difficilis quæstio est: utrum statutum personas habilitans, vel inhabilitans circa contractus, vel testamenta, extendatur etiam ad bona extra territorium sita, idq; respectu subditorum tantum, vel verò etiam peregrinorum pro tempore ibi commorantium? Respondet Barth. L. 1. n. 25. & 37. C. de Sum: Trin. Si statutum directè disponat circa formam actus v. ut ad testamentum sufficient testes duovalere testamentum ita confectum, se ab incola, seu à peregrino quoad omni bona, ubicunque sita sint. Responde secundò Bald: in cit. L. 1. n. 18. & alij. Si statutum habilitet personas jure communis inhabiles, v. g. ut filius familias testi meo

mentum condere possit; vel inhabilitet personas jure communi habiles, v. g. ut uxor marito per ultimam voluntatem relinquere nihil possit: utroque casu videtur extendi etiam ad bona alibi sita: quia dispositio statuti directe non fit de bonis, sed de personis, quatenus in hoc territorio testamentum condunt. Respondet tertio. *Sanch: lib: 3. de matr: disp: 18. q. 4.* Non esse in probabile, quod etiam peregrini tali statuto, vel consuetudine habiliante personas ad contrahendum vel testandum frui possint, sic enim ait docere *Barth: cit: L. 1. n. 26. Bald: n. 13.* quod advena in locis, ubi *Trid: Concilium* non obligat, validè contrahat matrimonium absque Parochi præsentia. *Addo* tamen inhabilitatem testandi peregrinos non contrahere ex statuto loci, cuius jurisdictioni non subjiciuntur: quia licet se legibus ac moribus eorum, inter quos morantur accommodare possint in favorabilibus, non tamen obligantur in odiosis. *Laym: lib: 1. cap: 12.*

23. An statutum in provincia, ut masculi succedant exclusis fœminis exten-

datur bona extra territorium sita? & num  
incolas tantum obligat, an etiam exter-  
nos, vel advenas? Resp: 1. Si statutum  
directè disponit de rebus, v. g. *possessiones*  
*perveniant ad masculos fæminæ autem dote mo-*  
*derat à contentæ sint*, non extenditur ad pos-  
sessions extra territorium sitas: obligat  
*autem jam extraneos si in regione posses-*  
*siones habeant*; Barth: ex comm: incit. L.  
Resp: 2. Si statutum absolutè disponat de  
personis v. g. ut masculi in hæreditatibus  
succedant fœminis exclusis, tum peregrini  
& extraneos non comprehendendi. Bar-  
thol: ibid. Felin: in cap. ult. n. 4. de foro comp-  
sed erga incolas, seu subditos videtur  
extendere ad bona etiam alibi sita. sup  
conclus: præced: resp: 2. contra Barth.

24. Tali tamen statuto inhabilitant  
personas ad donandum vel testandum  
liberare se possunt incolæ si extra territori-  
um egressi alibi, ubi lex non viget, actum  
perficiant. Sancb: cit. q. 4. cont: Barth: Bald:  
in l. i. C. de Sum: Trin. Et valebit actus saltem  
mero jure (quandoq; autem ob fraudem  
rescindi poterit) cum hoc discrimen  
inter statutum & Superioris præceptum

vel sententiam, quod statutum proxime ac directe territorium afficiat, atque exinde tendat in incolas, seu commorantes intra territorium: Sententia autem & praeceptum, proxime tendit ac directe in personas subditas, earumque ossibus haeret. Quamobrem nihil obstat, quo minus Episcopus peregrinaturo Clerico suo praecipiat, ut in certo loco extra Diocesin consistat, inibi ne iudicetur, potest. At vero statutis suis non potest obligare Clericos, dum extra commorantur. Sed alia ratio est de Religiosis, quorum leges & statuta Ordinis, non sunt certi territorii: cum fundata sint in personali eorum obligatione ac voto: quare dici solet, quod *totus mundus fit Praelatis Ordinum pro territorio*, erga subditos Regulares. *Syl: ver: excom: 2. n. 15. & alijs.*

25. Dubitatio consequitur quoad eum, cui confiscatio bonorum ob crimen illata est, an poena extendi censeatur ad bona, quae alibi possidet. Distinguendum: vel diversa loca eidem Domino, seu Magistratui immediate subsunt: tunc omnia ipsi applicabuntur. Vel non eidem,

E 3      sed

sed diversis subsunt; & tunc refert utrum  
pœna confiscationis reo inferatur exle-  
ge, quæ utriq; loco communis sit, an ex  
statuto proprio: priore casu Judex loci, in  
quo reus condemnatur, confiscabit o-  
mnia bona mobilia: immobilia verò bo-  
na, quæ reus possidet, in suo territorio:  
alter verò Magistratus, alia immobili  
bona. Posteriore autem casu bona extra  
territorium posita confiscationi subje-  
non sunt. ut benè Clarus q. 7. 8. n. 27. Ball  
in L. 1. n. 26. C. de Sum: Trin: Farinaciu  
de hæresi. q. 190. n. 166.

26. Non placet sententia Innocentij: in  
cap: postulaisti, 14. deforo comp: quem sequitur  
ibid: Abb: n. 16. contra Host: & Ioan And: ibi-  
dem. Si Magistratus statutum condat, u-  
ob crimen adulterii v. g. possessiones cri-  
minosi confiscentur, quod afficiat etiam  
possessores extrāeos, & alioquin non sub-  
ditos, eò quod in rem & non in personam  
conceptum sit: Verumtamen intentio  
statuentium, & effectus statuti confide-  
rari debet potius, quam eius verba. Ap-  
paret autem qualitercunque verba con-  
cipiantur, causam statuendi esse crimen  
ad eo

adeoque tam in statuentium; intentione,  
quam effectu, statutum esse pœnale, quo  
extranei obligari non possunt. Id recte  
docet idem *Innocent: cap postulaſti cit.* Si ex-  
traneus, qui sub hoc Magistratu possessio-  
nes habet, extra provinciam Magistratū  
offendat, aut subditos eius, quod eum pu-  
nire non possit in possessionibus: Sed in-  
primis pro illata injuria satisfactionem  
petere debet à delinquentे, & Superiore  
eius: qui si satisfacere negligent, tum de-  
mum permisum erit apprehendere bo-  
na offendentis, donec satisfactum sit.  
Quod etiam in tributis fieri consuevit,  
ut si ea extraneus possessor Principi non  
pendat, eius ratione possessiones in loco  
sitæ apprehendi possint, quippe cum tri-  
butorum nomine obligatae censeantur.  
*Bald: in L. jubemus nullam. 10. C. de SS. Eccles.*  
*Abbas incit. cap. postulaſti n. 12.*

27. Difficultas restat celebris, an A-  
ctor qualitatem fundantem jurisdictionē  
Judicis, expressè allegare debeat: Resp.  
cum *Innocentius in cap. ceterum. num. 2. de*  
*Iud:* Si qualitas fundans huiusmodi juris-  
dictionem Judicis, quæſtioni principali

intrinseca sit & imbibita, sufficit, ut eam  
 Actor expressè vel implicitè alleget: Ut si  
 Clericus laicum coram Judice Ecclesi-  
 astico conveniat, quod ex Ecclesia quidpi-  
 am surripuerit, is verò absolutè neget de-  
 lictum; fundata erit jurisdictione: cum hac  
 ipsa causa sacrilegii (quæ est mixti fori)  
 principaliter agatur, & super ea lis in A-  
 ctorem & reum contestanda sit. Sin au-  
 tem qualitas fundans jurisdictionem Ju-  
 dicis non principaliter deducatur in judi-  
 cium, ideoq; causa intrinseca non sit, sed  
 accessoria: tunc prius, saltem extraordi-  
 nariè cognoscendam esse, quam ad causas  
 judiciale cognitionem deveniatur, cen-  
 set Barth: *in L. præscriptione. n. 7. & 8. C. Si*  
*contrajus, vel utilit. pub:* Ut si aliquis extra-  
 neum coram Civitatis Judice conveniat  
 super contractu, aut delicto, & ipse neget  
 se hoc in territorio contraxisse, aut deli-  
 quisse. Vel si quispiam, tanquam Cleri-  
 cus, coram Ecclesiastico Judice conve-  
 niatur super delicto pecuniario, is verò  
 excipiatur se Clericum non esse, aut fori Ec-  
 clesiastici privilegio non gaudere, tum Ju-  
 dex ante omnia hoc dubium examinare  
 debet,

debet, ut eius jurisdictione in ordine ad causam principalem fundata sit. ita Bartholus cit. Domin: in capit. 1. §. contrahentes ver. sed quid si contra Iason: in lib. cum quadam. n. 2. ff. de jurisdictione:

## TITULUS. II.

## DE CITATIONE, SEV IN JVS

*Vocatione:*

## C A S U S.

Cum Demostheni vetarent Athenienses in concione verba facere: pauca habere se ait, quæ ipsis referret. Quibus conticescentibus: Adolescens inquit, sub æstatis tempus asinum cuiusdam Athenis Megaram usque conduxit. Flagrante meridie sole; uterq; asini umbrâ quærebat se tegere, repellebatq; alter alterum: atq; hic locasse prætendebat se asinum, non eius umbram: qui eum conduxerat, omnem eius usum suum esse. Quibus narratis cœpit abire Demosthenes: retinentib⁹ eum

E 5

Athe-

Atheniensibus, atque ut absolvere sermonem, rogantibus. Itanè vero de a fini umbra, inquit vultis audire dicentem de rebus seriis non vultis? Plutar: *in vita Demosth:* Quæri posset, an ob negatam sibi umbram Cōductor in jus vocare potuisset Megaræ, Locatorem Atheniensem? Resolut: pete ex n.

## C O N C L V S I O.

## I.

**S**Upposita jurisdictione, & competentiâ Judicis, omnium actionum instituendaruim principium ab ea parte proficitur, quâ Prætor edicit de in jus vocando. Colligitur *ex capit.* *Quoniam contraria infra de probat:* & habetur §. *ultim.* *Institutio pœn:* *temerè litig:* Errant igitur qui scribunt ante denuntiandum esse debitori, quam in jus vocetur. Duar: *art: 2. disput.* *ann. 28.* Cuiac: *5. obs. 31.* Adeò hæc in jus vocatio necessaria est, quoad absentem, ut nullatenus omitti possit. Clement: *Pastoralis de re jud:* Nam cùm ea ad defensionem speetet, juris est naturalis, imò secundum ali-

quos

quos Divini: inducta quando Deus cito  
vit Adamum post peccatum commissum,  
dicēs, *Adam ubi es?* Gen: 3. quos refert Cal-  
volus in praxi §. citatio concl: 1. Et ideò eā  
omissā judicium redditur nullum. Est ci-  
tatio actus legitimus, quo quis mandato  
Judicis juris experiundi gratiā in judici-  
um vocatur. L. 1. ff. de injus vocando. L. 2. ff.  
*si quis injus voc. non ier.* §. ult: Instit: de pæn:  
tem: lit. Et vel realis est, vel verbalis: illa  
per manus injectionem, & apprehensio-  
nenem personæ citandæ; hæc aut privatim  
per apparitorem, vel literas, aut publicam  
præconis vocem, tubam, campanam, aut  
edictis legitimis fieri solet. L. 8. C. quomodo  
& quando Iudex. Edictalis citatio tunc ad-  
hiberi solet, quando aliâs quis citari neq: t:  
ut si locus non sit tutus, si non proprii ter-  
ritorii, si remotus nimium, aut varius ubi  
citand⁹ moretur, vel si ipse citandus sit va-  
gabundus, aut impedit ne citatio verba-  
lis, vel p litteras ad se venire possit. Menoch:  
8. remed: q. 13. de recuperand: posseß: n. 113. & seq.

2. Iterum citatio alia simplex, alia per-  
emptoria: illa citatum non ante contu-  
macem constituit, quàm si tertio & justo

intervallo, decem dierum in civilibus facta sit. *L.*: *Tres denuntiationes.* *C.* quomodo & quando *Iudex*. Hæc simplices citationes ita perimit, ut in jus vocatum si præfixa die non comparuerit, contumacem constituat. *L.* & *tertium* & *L. nonnunquam ff de jud:* Et quamvis antea per intervallum ad minus decem dierum singula edicta peremptoria citationum impetrari deberent. *L. per intervallum C. de jud:* tamen hodie singulis citationum edictis necessarium esse intervallum 30. dierum constat ex *Authen: qui semel.* *C.. quomodo & quando Iudex.* ita tamen ut *Judex* pro qualitate personæ, temporis, loci, aliisq; hiujusmodi circumstantiis, & edictorum numerum, & eorundem intervalla necessitate postulante augere, diminuere possit. *cit L. nonnunquam in fine. ff. de jud: cap. consuluit in fine off: deleg:* Ut proinde & post peremptorium edictum absens ex benignitate *Judicis* citari possit. *L. & post peremptorium ff: de judic.*

3. Requisita ad citationem sunt i. Ut fiat ad instantiam partis, nisi *Judex* videat perire instantiam, quia tunc ex officio citare

libus  
modo  
ones  
æfixa  
con-  
ff de  
mad  
per-  
ebe-  
i ho-  
ssari-  
at ex-  
lo Iu-  
per-  
nodi-  
um,  
ostu-  
non-  
fini-  
pto-  
Ju-  
ium.  
. Vt  
ide-  
icio  
care

citare posset. Marant. 6. p. *Speculi. n. 115. 2.* Ut fiat mandato Judicis. *L. properandum 5. C. de jud:* nisi forte delinquens in flagranti deprehendatur. Gail. *lib: 1. obs: 5 4.* aut nisi ob tenuitatem causæ, aut alium fori usum, ad quasdam citationes faciendas generale mandatum semel datum sufficiat. Alciat: *in rubr: C. ne in jus vocati. 3.* Continere debet nomen & cognomen Judicis, ut citatus agnoscat an Judicis competentijs jussu decreta sit. *L. fin. ff. de jurisdic: om: jud:* de quo tamen si citatus solum dubitet, comparere tenetur: & incompetentijs allegare. *L. 2. ff. si quis in jus voc:* nisi notorium sit Judicem jurisdictionem non habere. Gail: *lib: 1. obs: 48.* de qua tamen competentia Judex ipse citans cognoscere potest, an scilicet suæ jurisdictionis sit, aut alienæ *L. 2. ff. sed si dubitetur: 4.* Continere debet nomen & cognomen eius qui citatur, *cap. 34. & 36. de rescript:* Gail. *lib: 1. obs: 49.* & similiter eius, ad cuius instantiam citatur. Gail: *hic obs: 50.* ut intellegat citatus citationem non ex officio Judicis, sed ad instantiam partis factam esse. 5° Causam saltem in genere, etiam in criminis

minalibus, ut instruatur reus super quo convenitur, & paratus ad respondendum accedat. Gail. lib: 1. obs: 51. 6. Locum iudicii, ut citatus sciat an Judex non exceedat fines suæ jurisdictiōnis, citando extra territorium suum, & an locus ad quem citatur securus sit & commodus: nam citatus ad locum non tutum, vel incoñodum comparere non tenetur. cap: ex parte: de appell: L. Si locus. ff de jud. & Judex non admittens exceptionem loci non tuti, infert citato gravamē à quo licet appellatur. Gail: lib. 1. obs: 51. Deniq; diem certum ac opportunum continere debet, quo citatus compareat, & commodè ad locum iudicii venire possit: ut sciat reus an dies sit iuridica, nam diebus feriatis, ut suo loco dicimus, nemo regulariter ad iudicium compellendus est, cap. 1. defer: L, 2. & 3. C. eodem.

4. An subditus extra territorium existens (quod aliud non est quam spatum terræ jurisdictione munitum, Decio & Baldo teste in rubr: quæ sint regalia & jus coercendi aut terrendi sonat. L. Pupillus §. territorium de verborum signific:) citari valeat: lis est non levis inter Legistas. Affirmati-

## III.

mativam tenet Barth: *l. 1. § 1. n. 3. ff. de reis.* 1. Quia quando duo territoria subsunt uni Superiori, tunc unus Judex potest citare in territorio alterius: omnes autem Dioeceses subsunt Romano Pontifici. 2. quia citatio non est actus judicialis etiam prout à Nuntio fit extra territorium. *Abb: teste in cap. licet. n. 41. de foro comp:* sed est solummodo executio sententiae judicialis de citando reum, quæ decernitur à Judice in proprio territorio. 3. Quia id videtur significari in *cap. Romana. §. contrahentes de foro comp: in 6.* ibi. *Si eorum auctoritate citati.* 4. quia per *cap. postulasti de foro compet:* executio sententiae latæ ab Episcopo contra Clericum, qui in eius territorio deliquit, dicitur facienda ab Episcopo alterius Dioecesis. 5. quia habens potestatem ferendi censuras, potest censuram excommunicationis v. g. ferre in subditum extra suam Dioecesin per *cap. cum sit. §. fin. de appellat: cap. evidentia de accus: & cap. manifesta 1. qu. 1.* ergo etiam potest citare existentem extra territorium: tum quia ad excommunicandum præquiritur citatio: tum etiam quia plus est

excom-

excommunicare, quam citare. Sed contrarium tenet Hurtadus *de cens: diff:* 8. & alii apud Dian: p. 5. tr. 9, ref: 34. Quia Episcopus non potest exercere actum jurisdictionis in aliena Diœcesi. *cap: fin. de const: cap. Episcopum. 9. qu. 2.* jurisdictione enim ut communiter dicitur, inhæret territorio. Et Episcopus extra Diœcesin, quoad jurisdictionem contentiosam, habetur pro persona privata. Citatio autem act<sup>o</sup> contentiose jurisdictionis est, etiam quatenus insinuatur à Nuntio. unde in Clement: *Pastoralis de sent: & re iudic.* determinatur Judicem non posse aliquem citare in alieno territorio. & *cap. fin. de constit: in 6.* ait Bonifacius VIII. quod statutum Episcopi contra fures non habet locum in his, qui furtum extra eius Diœcesin commiserunt: quia (ait ipse) *extra territorium jus dicenti impunè non paretur.* L. *fin: ff. de jur: om. jud. L. 2. ff. si quis in jus voc:* Nec obstant argumenta pro contraria opinione adducta. Nam ad primum Bartholi negatur maior: quo tempore enim omnes provinciæ Romano Imperio subjectæ fuerat, statutum fuit per L. 1. §. *Præsides ff. de requi:*

ren.

reis. ut Iudices loci delicti mitterent litteras ad Magistratus locorum, ubi rei consistunt ad eos citados, quod & hodie quibusdam in locis observatur. Ad secundum negatur citationem non esse actum jurisdictionis: nam contrarium probatum est. Unde quamvis Episcopus exercere possit in alieno territorio jurisdictionem voluntariam ut docet Gratian: *to: 2. disp. 127. n. 1.* id tamen verum non est, quando exigitur citatio, ut idem Gratianus ait. Ad tertium ille textus non est contra nos, nam loquitur de citatione ratione contractus, quae immediatè afficit rem, non de citatione personæ, quæ afficit immediate personam. Avila *p. 2. cap. 3. disput: 2. dub: 2. conclus. 4.* Vel melius, quod ille textus, dum dicit propriâ authoritate citati, non excludit interventum Judicis territorii requisitum per litteras: nam quod hic facit, videtur facere jussu requirentis ex L. à Divo Pio. §. 1. ff. *de re jud.* ita Barth: *in L. heres absens. §. 1. ff. de jud:* Ad quartum dico ideo exsecutionem sententiæ latæ ab Episcopo alterius Diœcesis, quia agebatur de beneficio suo in Diœcesi istius.

in qua

in qua Episcopus judicans non habebat potestatem. Ita Abb: in cap. sum Ecclesiarum. sub n. 101. verb: unum tamen scias. de off. ord: & DD. communiter. Ad quintum, Nego consequentiam, & ad primam probationem dico, fugientem extra territorium post delictum, citari sufficienter in domo, vel in alio loco publico territorii, quia per fraudem fecit se indignum citatione personali. Ad secundam probationem negatur assumptum: nam exsecutio citationis extra territorium non exigit strepitum judiciale, sicut exigit citatio, quia trahit secum effectum suum: ergo citatio existentem extra territorium afficere non potest. *Limita.* Nisi procedat à Judice domicilii, qui subditum suum ubiq; existentem citare potest, teste Gail: cit: libr: 1. observ. 56. in fine. Cuius ratio est, quia quocunque se transferat semper manet subditus: cùm propriè subditus dicatur ratione domicilii. cap. licet ratione. h. t. & ibid: Felim: Gail: lib: 2. obf: 35. quod & incolas facit. L. *domicilium*, & ibid: Gl: ff. ad municip: L. si in patria C. de incolis. lib. 10.

5. Porro commissione citationis numeratio

tio facta, debet is eam insinuare Reo, in faciem, aut eo non reperto Procuratori eius si quem reliquerit, aut domesticis, vel si nemo adsit vicinis eius, relicto ibidem suæ commissionis exemplo, ut ad reum citatio perveniat. L. 2. in princ: ff. de agnos: lib: cap. causam 3. de dolo. Quod si citandus plures ædes habeat, executio citationis ad eas ædes fiet, in quibus majore parte anni egit. arg. Clem: causam. ibi In domo quam &c. de elect. Si autem æquali tempore in omnibus habitaverit, citabitur ubi citationis tempore agit: quâ citatione executio- ni mandatâ, relatio nuntii fieri debet, ut actis inseratur, & huic fides datur ob jura- menti religionem quâ Judici adstrict⁹ est: quanquam afferenti se ex mandato judi- cis citasse non credatur, quia ei solum de facto suo quale est executio, non etiam de facto alieno, cuiusmodi est commissio Ju- dicis, creditur. Gail: cit. lib: 1. obs: 54. n. 4.

6. Quod ad effectum citationis attinet: i. ea citatum constringit ad comparendum, nisi justâ exceptione se tueatur: ut quod Magistratum gerat, quod sit Parens, vel Patronus, quos sine permisso Præto- ris in.

ris in jus vocare non licet, vel quod propter loci religionem inde se mouere non possit, quodq; funus ducat, aut justa defuncto persolvat, vel aliâ simili causâ, de quibus latius videre licet. L. 2. 3. & seq: ff. de in jus voc: 2. perpetuat Judicis delegati jurisdictionem. cap. 10. de off: deleg: Et ideo si quis postquam citatus est, alterius fori esse cœperit, in ea causa regulariter jus revocandi domum non habet. L. si quis postea 7. ff. de jud: cap: proposuisti pœn: h. t. 3. Præscriptionem inter rumpit, etiam triginta añorum. L. Fin: C. de annali exceptione.

7. Vocari alii omnino non possunt: alii non sine venia: illi enumerantur. L. 2. & 4. sup: ff. de in jus voc: Horum mentio fit cit: L. 4. §. 1. ff. de in jus voc: L. 2. C. eodem. & sunt Patroni, Parentes utriusq; sexus: Parentes, Patroni, Liberi, uxor, & haeres des eius licet extranei. Hanc edicti partem Accursius & alii ad Socrum & Scrum, ad vitricum & novercam, ad maritum & vasallum extendebant: quia generaliter vocari prohiberentur in jus, omnes personæ, quibus reverentia debetur. L. generaliter de in jus voc: Sed merito displi-

displicet Curtio. L. i. C. de *injus voc:* Alcia-  
to *incit.* L. i. quia edictum illud Prætoris,  
has personas inter exceptas non comme-  
morat. Et L. de *bis* C. de *furtis*, conceditur  
actio famosa contra Novercam. Fateor  
reverentiam deberi Novercæ, quia loco  
matris est. §. *socrum in Inst: denupt:* & L. i. C.  
*eod:* & uxori patroni L. i. C. de *injus voc:*  
Sed nego eam reverentiam deberi quæ  
personis nominatis in edicto debetur,  
cum casus excepti forment regulam in ca-  
sibus non exceptis, per reg: 6. *juris: in 6.*

### TITULUS. III.

#### DE PROCVRATORIBVS & Defensoribus

#### C A S U S.

PARISIIS duo fuere Advocati Com-  
patres: horum alterum vir quidā  
rogat, ut causam suam adversus ru-  
sticum antagonistam agat. Annuit.  
Sed paulo post adversarius rusticus  
adest; cumque multo plus pro assi-  
stētia polliceretur; etiam huic ope-  
ram

ram suam promittit. Redeunte pri-  
mo, se excusat; quod, cùm adverfa-  
rii partes acturus sit, ei promissam  
operam præstare nequeat. Ablegat  
tamen eum ad alterum Procurato-  
rem Compatrem suum, cum hac  
commendatione: Compater mi, ve-  
nerunt ad me duo Capones pingues:  
ego pinguiorem cepi, alterum vobis  
mitto: plumeretur is à parte vestra, &  
ego plumabo alterum. Fr. Oliver: Mail-  
lard: Fer. 1. Dominic: Adventus. Quæritur,  
an rejectus Rusticus jure potuisset  
recusare hunc contra se Procurato-  
rem? Resolutio petitur ex n. 2.

## I:

**I**nter eos, qui reorum defensiones re-  
ctè in se suscipiunt, consentur Procura-  
tores, qui ad judicialia, quandoq; ad ex-  
trajudicialia tractanda constituuntur: aut  
à Domino rei, aut ab alio quocunq; ad se  
obligandum idoneo. Gl: in L. Neq;. C. de  
legit: tutor: sic dicti, quasi pro alio cura-  
tores, cui' nomine res & negotia gerunt,  
utiq;

utiq; ex mandato domini. L. 1. §. usus. ff.  
*hoc tit.* Uterq; ad unum, vel plura negotia  
 coram, vel in absentia, per epistolam, aut  
 per nuntium rectè constituitur. L. 1. §. 1.  
*cum §. seq. h. t.* in eo tamen unus ab altero  
 differēs, quod ad extrajudicialia dari pos-  
 sit maior 17. annis: ad lites verò non nisi  
 maior 25. annis, saltem de jure Canonico.  
*cap. qui generaliter.* §. fin: *h. t. in* 6. tum pro-  
 pter beneficium restitutionis quod ipsi  
 minori competit, *L. Minor.* 25. ff. *h. t. tum*  
 quia, cùm non habeat legitimam perso-  
 nam standi in iudicio. *L. 1. & 2. C. ver. qui*  
*legit. personam.* *h. t.* non censetur idoneus  
 ad alienas lites peragendas.

2. Dari possunt quicunque lege certa  
 non prohibiti, modo consentiant. *Hofst:*  
*in sum: h. t. cap: 1. eod: in* 6. *L. 2. ff. eod: Clem:*  
*1. eod: tit:* imo filii familiās sine consensu  
 patris modo 25. annum excesserint. Insu-  
 per unus, duo, pluresvè ad litem institu-  
 endam vel persequendam constitui pos-  
 sunt. *cap: si duo in* 6. *h. t.* ut tamen non seor-  
 sim singuli, sed omnes simul agant: præ-  
 terquam si in solidum dati sint: quo casu  
 præventioni locus est, potiorq; conditio  
 occu-

occupantis negotium per litis contestationem. cap. si duo cit: Exceptis causis postulationum, provisionum, aliisq; spiritu alibus, in quibus quia celeriorem expeditiōnem exigunt, pluribus in solidum constitutis, potest Judex magis idoneum eligere, ne ob eorum concursum negotia intracentur. cit: cap. si duo.

3. Prohibentur verò præcipue dā Procuratores, in primis minor 25 annis antea dictum. Excommunicatus cap. h. t. quia juris fictione pro mortuo habetur. can. nemo Episcoporum 11. qu. 3. prater quam in causa propriæ defensionis. cap. intelleximus. dejud: Bannitus, quia omnia bona amisit: proindeq; civiliter mortuum censetur. Gail: l. 2. de pace public: cap. 12. p. totum. Captus ab hostibus, non Procuratorem, sed aetorem tantum constituit quia quamdiu est in potestate hostium sui juris non est. L. ab hostibus. ff. ex quibus causis maiores. Syndicus Universitatis, tutor ante litem contestatam: quia ante eam non sunt litis domini. Fœmina: nisi in rem propriam illi actiones mandentur vel causa cognita eidem pro parentibus ægris.

atesta  
 sis po- ægritudine ætatevè impeditis agere, ob  
 piritu defectum aliorum permittatur. L. Fæmina  
 xpedi ff. h. t. Miles in aliena causa, ne eâ occa-  
 n con sione avocetur. L. militem 7. L. Qui stipen-  
 im eli dia 9. C. eod: Decuriones, Medici, Profes-  
 egotia sores, aliiq; digniores, quia vile censetur  
 Procuratoris Officium L. si quis 34. C. de  
 Decur: lib. 10. Servus; quia legitimam per-  
 iè dar sonam standi in judicio non habet. L 1. &  
 nnis toto cit. eodem. Furiosus; quia consensu  
 cap. caret. L. 2. §. furiosus. ff. eod: Mutus & sur-  
 habe dus licet ad negotia Procuratores dari  
 orater possint, non tamen ad judicia. L mutus 43.  
 .cap. in in prin: ff. eod: Infâmes olim nec dare, nec  
 omni dari, Procuratores poterant. Paulus: libr: 1.  
 ortuu sent. tit. 2. At jure civili procurare possunt:  
 .12. pro laicis tamen: non pro Ecclesiasticis.  
 occur can: III. 1. q. 7. §. fin: Instit. de except: Prohi-  
 stituit betur fiscus: ut repræsentans totam Uni-  
 stium versitatem aut civitatem: ne potentia aut  
 x quib gratia alterius partis causam reddat dete-  
 tis, tu riorem, secus si interveniat ut Procurator  
 ante e privati, & aliunde eius gratia & potentia  
 ia: nil formidolosa non sit. toto tit. C. ne liceat po-  
 dentur tentioribus. Deniq; Religiosus.  
 entibus 4. D. Procurator in omnib' privatis cau-

F

sis

sis intervenire potest non specialiter prohibitis. L. cum Prætor ff. de jud: In causa criminali in qua imponitur pœna maior relegatione, ex parte actoris, vel rei Procurator dari non potest. cap. in criminal: 5. q. 3.  
 L. accusatore & ibi Gl. 1. §. fin. ff de pub: jud nisi accusatus detineatur in carcere. Rota decis: 5. de Procurat: L. servum. ff. de Procurat vel ad allegandum causas rationabiles absentiæ. cit. L. Accusatore. Rota. decis: 24. pœna relegationis, aut alia minor impnenda est, tunc procurator admittitur quia pœna relegationis, & alia minor absenti accusato infligi potest. L. 1. §. plan pecuniaria ff. an per alium causa appell. Quod agatur de criminè civiliter, tunc potest intervenire Procurator: puta de adulterio ad separationem thori. cap. in nostra §. reg h. t. aut ut accusatus privetur re & beneficio. Rota. decis: 35. cap. inquisitionis. de accus Regulariter tamen admitti sine mandato nemo solet cap. 1. hoc tit. exceptis personis conjunctis usq; ad quartum gradum testi Host: in sum: h. t. n. 13. L. non solum. §. qui alieno. ff. eod: Defungitur officio ex mutuo consensu. L. mutari. 24. ff. h. t. quia juxta  
vulgo

vulgatum, quodque ex modo dissolvitur  
 quo colligatum est; item finitur officium,  
 renuntiatione Domini re integra, secus  
 lite jam cœpta, quia tunc jam factus est li-  
 tis dominus. Præterea finitâ instantiâ, id  
 est lata sententia definitiva, quia non co-  
 gitur Procurator judicium appellationis  
 prosequi, quod in se non suscepit. L. Invi-  
 tatus. C. h. t. iterum morte Domini constitu-  
 entis re integra. L. nulla. 23. C. h. t. imo eti-  
 am re non integrâ interdum: nempe sede  
 vacante: quâ si quid fiat, pperam fieri di-  
 citur. cap. fin: ne sede vac: Item morte ipsius  
 Procuratoris re sive integrâ, sive non in-  
 tegrâ. L. si quis 27. §. morte ff. mandati. Rur-  
 sus mutatione seu substitutione alterius  
 in locum Procuratoris, quia per constitu-  
 tionem posterioris prior censetur revo-  
 cari. L. si quis cum Procuratorio. §. fin. ff. eod:  
 nisi contrarium clare exprimatur. arg. cap.  
 si quid h. t. in 6. Deniq; si ipse Domin' cau-  
 sam suam per se ipsum tractaturus veniat  
 ad judicium: nam eam per se tractando  
 censetur tacite Procuratorem revocare:  
 nisi ex protestatione, aut aliis conjecturis  
 contrarium appareat. cap. si quid: h. t. in 6.

## TITULUS IV.

DE DOLO ET CONTVMACIA.  
C A S U S.

H Enricus Etichtonis Comitis ab  
Altorff & Ravenspurg Fili⁹, à so-  
roris marito Ludovico, Francorum  
& Boiorum Rege, quicquid in Supe-  
riore Boiaria aureo vehiculo à pri-  
ma luce ad meridiem ambiret, qui  
joco exposcit. Ludovicus ratus Fra-  
trem Conjugis pauperiorem esse  
quam ut aureum currum posside-  
ret, postulatis annuit. Mox Hen-  
ricus plaustro rustico (in sinu quiden-  
aureum curriculum gestans) cu-  
cumvectus est à Lyco Fluvio ad Am-  
broneim, à Gelono ad alpes Peñinae  
Arrisit Ludovicus dolo, & quæcunq;  
hisce finibus continentur, Henricus  
dedit. Huius Posteri deinceps po-  
tit i sunt Boiaria. *Aventinus libr. 4. Ann.*  
Quæritur, an Henricus potuisset ag-

reu

reus doli à Posteris Ludovici? *Resolu-*  
*tionem pete ex num: 2.*

## I.

**C**itatione legitimè factâ, & reo contumaciter absente, is contumaciam incurrit; quæ aliud non est, quâm erga Judicem commissa inobedientia: per Host: *in sum: h. t. L. contumacia 13. ff. dere jud:* variè coërceri solita, nunc litis damno. *cit. L. contumacia.* nunc mulcta à Judice inflicta, *L. 2. ff. si quis in jus voc:* modò condemnatione in expensas. *cap: cum dilecti h. t. vel aliter secundum Judicis arbitrium si solvendo non sit. cap: finem litibus h. t. interdum rei sequestratione. cap: ex literis h. t. subinde excommunicatione. cap. tua fraternitatis.* *sup. ut lite non cont: Trid: sess: 24. cap. 3. dere for:* Aliquando missione in bonorum possessionem, iis scilicet casibus in quibus locum habere potest, Hen: *Can: lib. 4. tit. 4.*

2. Dolus malus est calliditas, fallacia, & machinatio ad circumveniendum, fallendum & decipiendum alium adhibita. *L. 1. §. 1. ff. de dolo.* Bonum dolum pro sertia veteres accipiebant. *cit. L. 1. §. non fuit autem.* fit dupliciter ut plurimum aut ex

proposito. & tunc vel dat causam contractui, vel incidit in contractum: aut fit re ipsa. DD. L. si quis eum aliter. ff. de verb: oblig. Remedie adversus dolum varia producuntur: videlicet nullitas actus, actio de dolo, exceptio dolis: Quando dolus dat causam contractui bona fidei: ut sunt contractus emptionis, locationis, depositi, comodati &c. hoc est, quia deceptus non erat alias contracturus, nisi dolo secundum contrahentis fuisse inductus ad comprehendendum, ipso jure nullus est: quod si traditio intervenerit, tunc traditionis effectus rescinditur per actionem de dolo. & elegant: & ibi: Gl. in ver: ne inter maiores de dolo. Sive vero causam det contractus isti eti juris (ut sunt in quibus Judex ad verb: contractus adstringitur, nec alter alterius plus obligatur, quam intra contrahentes actum est, quales sunt stipulationes, contractus emphyteutici, feudales) tenet contractus, sed decepto datur exceptio dolis & actio de dolo cit. L. & eleganter. §. servus. nisi dolus intervenerit in spiritualibus qui non annullat actum, neque de eo potest excipi aut agi, unde ingressus in re

gio

gionem per dolum tenet. cap: dudum. de  
 convers: Conjug: Matrimonium contractū  
 per dolum tenet. Gl. pen: in fin: in L. à Divo  
 Pio ff. de interrupt: Panor. in cap. cùm dilecti..  
 n. 7. de empt. & vend. quia non fit conditio  
 eius, qui dolum passus est, deterior. Dolus  
 incidens in contractu bonæ fidei, purga-  
 tur actione ex eo contractu etiam si sit læ-  
 sio in minore summâ quàm dimidia justi  
 pretii. L. Julian: §. si venditor ff. de act. & empt.  
 Bald: in L. 4. C. de rescind: vend: Si incidat  
 in contractu stricti juris, tunc actio de do-  
 lo est necessaria: cit. L eleganter. §. non solum.  
 & §. severus. Ratio diversitatis est: quia in  
 contractib' bonæ fidei alter alteri obliga-  
 tur in id, quod alterum alteri ex bono &  
 æquo præstare oportet: in contractibus  
 stricti juris necesse est, quod omnia dedu-  
 catur in stipulationem, & alias nihil venit  
 DD. Instit: de oblig: ex consensu. Dicitur au-  
 tem dolus in contractum incidere, quādo  
 deceptus fuisset quidem alias contractu-  
 rus, sed dolō alterius decipitur ut minori  
 pretio contrahat. Gl. in cit: L. Julianus. §. si  
 venditor in verb. venderet & ibid. DD.

3. Quando quis decipitur in contractu

F 4

re ipsâ

re ipsâ, & non ex proposito alterius, tene  
contractus, sed si contrahens est minor  
restituitur pro levi etiam damno: nō pro  
minimo. L. suo ff. de in integ. restit. Si maior  
& decipiatur ultra dimidium justi pretii,  
aget deceptus, ut rescindatur contractus,  
vel ut suppleatur pretium justum. L. 2.6  
ibid: Gl: pen: & DD. C. de rescind: vend: cap. cum  
causa. & ibi Gl: fin. de empt: & vend: Si vero  
deceptione non est ultra dimidiū justi pre-  
tii, toleratur jure civili. L. item si in pretio  
§. fin: ff. Locati. & ibi Gl. & DD. Estque ha-  
actio merè personalis, quia in ea exprime-  
re oportet quis fecerit, & cui factus sit do-  
lus, ac in qua re. L. sed & ex dolo. §. fin. & ibid:  
Gl. & L. seq. de dolo. non tamen locum ha-  
bet pro modica summa: id est usq; ad du-  
os aureos. L. si oleum. §. fin: & L. seq: ff. de de-  
lo. quia cùm actio de dolo sit actio crimi-  
nalis, admitti non debet in re modica. Ei-  
quo principio deduci potest; quænam  
quantitas ex objecto sufficiat ad gravita-  
tem furti mortiferi: quādo quantitas no-  
tabilis nocimenti in rebus determinatu-  
jure, valor excedens duos aureos: ut eti-  
am agnovit Labeo apud Vlpian: Iurisconsili-  
L.

L. si quis affirmavit. & seq: ff. de dolo, L. id est.  
 ff. eod: Cæterum actio de dolo non datur  
 quibusdam personis, v. g. liberis, libertis,  
 adversus Parentes Patronosvè, nec ple-  
 beio adversus consularem receptę autho-  
 ritatis, prodigo, aut aliâs vili aduersus ho-  
 minem vitæ emendatoris, &c. sed in eos  
 datur in factum verbis temperanda actio,  
 ut bonæ fidei mentio fiat, ne ex dolo suo  
 lucentur. L. non debet. & L seq: ff. de dolo. &  
 debet moveri & terminari intra bieñium  
 continuum: quod currit absenti, nisi ab-  
 sit causâ Reip. L. non possunt. C. de dolo. est  
 autem ex parte opponentis realis, ex alte-  
 ra parte cui opponitur personalis, quia in  
 ea sufficit exprimere, quod is cui opponi-  
 tur, dolum fecerit, & non exigitur expri-  
 mere cui dolus factus sit. L. 2. §. sequitur. &  
 L. apud Cels: §. si. ff. de doli mali except.

## TITULUS V.

DE LIBELLI ORLATIONE.

C A S U S.

ZEleucus Princeps legem tulerat  
 Locrensibus, ut adulter oculis  
 orbaretur: eiusdem unic⁹ Filius pau-

F 5. Iò post:

lò post adulteravit, factus reus po-  
næ; quam tamen populus miserati-  
one motus in Patris gratiam remitti  
voluit. sed Pater: lex, inquit, sancta,  
& pœna etiam in nobis esto: reperi-  
tamen, quomodo lege salva, huma-  
niti indulgeam<sup>9</sup>. Ipse & ego unum  
sumus, mihi ergo unus oculus, alter  
ipsi eruatur: atq; id factum. Iust: Lips:  
*Monitorum & Exem. Polit: l. 2. c. 12.* Quæri-  
tur, an Filius à Parente libelli obla-  
tionem exigere potuisset? Pete Resol:  
*ex num. 1.*

**R**Eo legitimè ad judicium citato com-  
parente, danda est regulariter copia  
libelli sumptibus actoris, ut indè reus sci-  
at ob quam causam in judicium vocatus  
sit, & deliberare possit, cedere, an con-  
tendere malit. Authen: offeratur. C. de litu  
contestat: Gl: in Clem: quamvis in ver: oblatu:  
de apell: Dixi regulariter, quia fallit regula  
in causis levibus, & vilium personarum,  
in quibus non datur libellus. Auth. Levioris  
**C. de sent:** ex breviloq: recit: Est libellus bre-  
vis scri-

vis scriptura, claram actoris, sive accusatoris intentionem sive rem quæ petitur, causam petendi, & nomen actionis & rei continens. *L. 1. ff. de edendo.* Rejici ergo debet libellus incertus obscurus, si ex his, quæ postea in judicium adducuntur, certa declaratio haberi non potest, quia Judex sententiam certam ex libello incerto & obscuro proferre nequit. *L. fin. C. de annual: exception: cap. 3. de sent: & rejud:* Obscurior verò evadit, ratione æquivocationis, generalitatis, alternativæ locutionis. *Gail: 1. observ. 6. 2.* Alternativus sustinetur 1. in actione hypothecaria, ut si dicat Actor. Peto illum condemnari ad traditionem rei obligatæ, vel ad solvendum debitum, per text: in L. si fundus. 16. §. in vindicatione. ff. de pign: quia in actione hypothecaria potest possessor retinere rem, & litis æstimationem offerre creditori. *L. si creditor. 2. ff. quibus modis pig: & hyp: sol: vide Socin: in cap: 2. h. t.* qui hanc regulam, quod libellus alternativus esse nondebeat, limitat novem modis. 2. sustinetur libellus alternativus in materia. *L. 2. Cod. de rescind: vend:* ubi venditor concludere debet, ut emptor ad

quod deest justo pretio suppleat, aut rem  
emptam restituat. c. Cùm dilecti 3. de empto  
vend: Gail: 1. obser: 62. 3. Quando petitur  
restitutio adversus contractum; quia tunc  
actor potest alternativè cōcludere, quod  
pronuncietur contractum esse nullum,  
aut, si quis sit, adversus eum restituatur.  
Gail: ibid: n. 7. 4. quando petitur restitu-  
res si exstet, aut eius æstimatio, si consum-  
pta sit, quando scilicet incertum est an res  
exstet. Gail: cit. obser: 62. alioqui si sit cer-  
tum rem exstare, ea peti debet, non eius  
æstimatio, quia hæc solum in subsidium  
debetur. L. fin: C. de fideicom: libert: Panor:  
in cap. gravis de resti: spol: Gail: cit. obs: 62. n.  
7. & 6. Similiter quando incertitudo pro-  
venit ex facto adversarii, pertex. in L. 1. §  
quia autem ff. quorum legatorum. ut proinde  
Gail: cit. obs: n. 4. velit, valere huiusmodi  
libellum. Petorem jure dominij, vel quasi do-  
minij, vel peto me declarari dominum, vel quasi  
dominum. Denique quando per libellum  
hæreditas absq; enumeratione rerum hæ-  
reditiarum, aut divisio absq; enumera-  
tione coniunium petitur: quia justa cau-  
sa esse potest, cur rem, vel partem rei in-

cer-

certam petamus. L. 3. §. pen. & ult. L. 6. L.  
quæ de tota 76. §. incertæ. ff. de R. V. L. 1. §.  
ult. ff. si pars hæred: pet:

2. Cùm verò duplex sit libellus, nem-  
pe civilis seu conventionalis. cap: fin. b. t.  
qui scilicet in rem civilem, id est, in id  
quod actoris interest, conceptus est, &  
criminalis, qui criminis accusationem  
continet, can: nullus 4. q. 4. cuius forma  
exstat in L. Libell. 3. ff. de accus: In conven-  
tionali exprimendum est, quis, quid, co-  
ram quo, quo jure petatur, & à quo. Cri-  
minali verò nomē accusatoris, rei accusa-  
ti, judicis coram quo, delicti locus, annus,  
mensis, designari debet, quamvis si dies,  
qui mensem demonstrat, exprimatur, non  
aliā mensis expressione opus sit.

3. Partes libelli generatim sumptisub-  
stantiales tres censentur: narratio facti,  
causa seu medium concludendi, & con-  
clusio. Barth: in L. si prius: ff. de nov: op: denunt:  
Narrationem definiunt facti controversi  
expositionem: quæ definitio ad brevem  
& succinctam facti narrationem restrin-  
genda videtur: copiosius enim factum  
controversum Judici exponimus, cùm a-  
pud

pud eum litem contestamur, non reo,  
 cum eum in jus vocamus. L. 1. C. de lit: con-  
 test: L. 14. §. Patroni. C. de jud: Porro licet  
 in conventionali libello hodie non sit ne-  
 cessere exprimi conceptis verbis nomen-  
 etionis (quod olim omnino obtinebat)  
 cap: dilecti. de jud: L. 1. L. 2. C. de form: & im-  
 pet. Canisius l. 4. tit: 5. quia ex narratione  
 facti, causa petendi, aut formula conclu-  
 sionis qualitas intentatæ actionis suffici-  
 enter colligitur, cap: literæ tuæ. de dilat:  
 Gail: 1. obser: 61. n. 2. necesse tamen est, ut  
 medium concludendi, seu causa petendi  
 exprimatur. Gloss: in citat: cap: dilecti: qua  
 quidem à DD. duplex assignari solet cul-  
 vis actioni: proxima & remota. Remota  
 in personali actione est contractus, in rea-  
 li acquisitio seu factum ex quo causatur  
 dominium: v. g. quod res sit donata, lega-  
 ta, vendita. Proxima in personali est ob-  
 ligatio, in reali dominium. In actione  
 personali exprimenda est causa remota  
 cap: fin: h. t. L. & an eadem. §. actiones ff. deex-  
 cept: reijud: v. g. peto à te decem ex mutuo, vel  
 ex deposito: quia ex causa remota præsumi-  
 tur proxima, scil: obligatio, nec sufficit  
 exprimere

exprimere causam proximam, veluti, peto decem ad quæ mihi obligaris, quia eadem res ex pluribus causis nobis deberi potest. *L. cit: & an eadem.* & reus non posset ex illa tanquam incerta, & non concludēte certum aliquid jus agendi deliberare, an cedere, an contendere velit. *cit. cap. fin: h. t.* In reali verò, puta in rei vindicatione sufficit exprimere causam proximam: v. g. peto fundum meum, qui meus est ratione dominii, vel quasi. *Gail: 1. obs: 6.* quia ex eo sufficienter reus certificatur an cedere, vel contendere malit. *Gl: in cap. 2. b. t.* & in *L. 1. ff. de edendo.* quandoquidem duo non possint eiusdem rei dominium in solidum habere. *L. Pomponius. §. sed & is ff. de procur:* neq; eandem rem pluribus ex causis obtainere quis possit. *L. non ut ex pluribus ff. de R. I.* Non prohibetur tamen actor causam dominii simul libello inserere, afferendo rem suam esse, quia sibi legata, vel alio similiter titulo acquisita. *cap. 3. de sent.* & *rejud:*

4. Quod ad conclusionem attinet, eam tradunt in primis necessariam, & velut stellam polarem esse, ad quam & *Judex*, & litigatores respicere debeant. *Iust:*

*§. in e-*

S. omnium Instit: de act: n. 128. Quod verum  
 est in causis civilibus, non criminalibus.  
 L. 3. pr: ff. de accus: Clarus s. sent: §. fin: q. 12.  
 Ad has libelli partes principes, adjiciuntur  
 alias min<sup>o</sup> principes. Narratione enim pra-  
 mittunt præfationē continentem nomen  
 Judicis, actoris, rei conventi, imploratio-  
 nem officii Judicis ad compellendū reum  
 litem contestari & ad libellum oblatum  
 respondere, præterea clausulas istas, offensio-  
 libellum non formâ solenni &c. & nolo adstringi  
 ad superfluam probationem. Nos hæc in li-  
 bello civili superflua arbitramur. Nomina-  
 natim quod attinet ad clausulam, Nolo ad-  
 stringi &c. malè traditum est à Bartholo-  
 ad L. Divus ff. de rejud: eâ omissâ necessita-  
 tem incumbere actori omnia illa proban-  
 di, quæ libello complexus est: quia Judi-  
 cis est statuere quid, & quantum proban-  
 debeat, L. ad probationem: 21. C. de prob: L.  
 ff. de test: ADDO cumulationem plurium  
 actionum actorem libello suo includere  
 posse. per L. si idem cum eo fi. de jurisdict: omni:  
 jud: Gail. 1. obs: 63. idq; favore litium. cap:  
 nullus de rejud: in & at eo casu iis sigillatim  
 reo respondendum erit: & à Judice to-  
 tidem

tidem secundum cuiusque actionis natu-  
ram, sigillatim proferendæ sunt sententiæ  
in eodem judicio: quia tot sunt libelli,  
quot actiones & facta, & ideo cùm separa-  
torum separata sit ratio, totidem senten-  
tiæ requiruntur: potestq; Judex partim  
definitivè, partim interlocutoriè pronun-  
tiare: ut v. g. si post conclusionem in cau-  
sa, quoad aliquod factum in actis allega-  
tum, desideret adhuc aliquam probatio-  
nem: potest rescissâ ex officio conclusio-  
ne, ulteriore probationem injungere,  
& nihilominus quoad reliquas actiones  
in quibus nihil desiderat definitivè pro-  
nuntiare: non obstante quod sententia  
individua sit. L. *in hoc judicio ff. fam: ercis.*  
quia id verum est, quando libellus unum  
factum continet: fecus quando plura, &  
separabilia facta. Gail: *cit. obs. 63.*

5. Conclusioni clausulam aliqui subjiciunt, *cum expensis*: quam adeo utilem esse  
aiunt: ut Judex eā non omissâ non sit ob-  
noxius eo nomine actori. Barth: *in L. 4. §.*  
*hoc autem judicium. ff. de damno inf:* Verū  
id falsum esse colligitur ex *L properandum.*  
*§. sin autem alterutra C. de jud.* Subjiciunt &  
hanc

Hanc. Salvo jure addendi, detrahendi &c. cui  
 vi existimant libellum, ante litem conte-  
 statam mutari posse. Gl. in cap. inter dilectos  
 de fide Instr. S E D reverà hæc clausula nihil  
 operatur, quia ipso jure libellum mutare  
 licet, tam in civilibus, quam in criminali-  
 bus usque ad litem contestatam, quia ea  
 non contestata non dum est judicium ca-  
 ptum propriè, at vero ea contestata actor  
 eum mutare non potest ( nisi velit uti no-  
 vo libello, & nova instantia, recedendo à  
 priori cum refusione expensarum, juxta  
 caput examinata de jud. ) etiam de consen-  
 su partium: quia per litis contestationem  
 obligatur quis instantia, ut ab ea recede-  
 re, & amplius pœnitere non valeat. L. 15.  
 qui se obtulit. & Gl. ibid. in ver. qui discessit  
 ff. de rei vend. tum quia sic celebratur qui-  
 dam quasi contractus, quo obligatur quis  
 ad id, quod in judicio petitum est, si per  
 sententiam ( quam contractus iste quasi  
 consummatur ) succumbat: tum, quia li-  
 tis contestatio, & alii actus substantiales  
 judicii partium consensu tolli nequeunt.  
 Gl. in cap. de causis. de offic. deleg. ver. consen-  
 sus. D i x i mutare, quia emandare licet li-  
 bel.

bellum, usq; ad sententiam. L. si quis intentione de jud. & DD. communiter ad L. edita 3.  
**C. de edendo.** ut proinde si actor de summa petita aliquid diminuere velit, usque ad sententiam audiendis est. arg. L. quidam ff. s<sup>o</sup> certum petatur. sicut & si errore duct<sup>o</sup> ab initio minus, quam sibi debebatur petierit; potest in eodem judicio, eademq; instantia, errorem suum corrigere. §. si minus. Inst. de act. SED & oblatio libelli remitti potest: intellige de partium litigantium conventione, si enim ipsa vocatio, tametsi primum sit suo modo, actionem institendarum principium, expresa aut tacita conventione remitti potest, quanto magis oblatio libelli? v. g. Adversarium in judicio inventum apud eum, qui tribunal praest convenisti: conventus ultro respondit, itemq; contestatus est, non est dubitandum valere judicium: ex quo fundamento & illud defenditur, si vocatio parum legitimè facta sit, non vitiari judicium si vocatus ultro compareat. arg. L. 1. §.  
 2. ff. de fer. Rebuff. tract. de contum. art. 2.n. 4.

6. Plerumq; autem viso actoris libello, reus vicissim ab actore aliquid petit, eum-  
que.

que reconvenire solet coram eiusdem Ju-  
dice, & in eodem judicio, etiam si alias il-  
le Judex non sit actoris competens, &  
non potest actor quoad recōventionem,  
ubi ea locum habere potest, se ullā in-  
competentis fori exceptione tueri. L. Pa-  
pin: C. sentent: & rel jud: L. qui non cogit.  
22. ff. de jud: etiamsi Clericus sit, qui co-  
ram Judice Laico reūm convenit, ex  
comm. DD. sententia: quia non debet  
quis quem dignari judicem, cuius in-  
agendo arbitrium secutus est. L. Papin:  
can: accusatores §. cui jus in agendo III. q. I.  
**Nec obstat cap: si diligenti de foro comp: quo**  
non licet Clerico nec expressè, nec tacite  
jurisdictionem laici in se prorogare, ex  
comm: Canonistarum. ibid: quia hoc casu  
non Clericus ipse prorogat jurisdictionem  
in Clericum. L. cum Papinianus, & ideo  
prorogatio hæc est legalis. nam cum sum-  
mus Pontifex nusquam vetuerit Cleri-  
cum coram Judice Laico reconveniri, vi-  
detur hac in parte voluisse sequi legem ci-  
vilem arg: cap: I. de novi operis nunt: Habet  
que

que locum hæc reconventio etiam coram  
Judice delegato cap: 2. de mutuis petit: præ-  
terquam in casibus jure exceptis: de qui-  
bus, cit: L. cùm Papinianus cap: cùm dilectus.  
6. de arbit: L. de his ff. de arbit: & in omnibus  
causis specialiter non prohibitis, etiam  
summariis Clement: sèpè. §. verum de verb.  
signif: Non autem in criminalibus crimi-  
naliter intentatis, nisi reus reconvenien-  
do criminaliter vel maius crimen objici-  
at, vel prosequatur suam, suorumq; in-  
juriam, quia non objectione criminis,  
sed suâ innocentia reus purgatur can. ne-  
ganda & per totum. III. q. II. imò reus cri-  
minaliter conventus, actorem ne qui-  
dem civiliter reconvenire potest, vel con-  
trà. L. 2. §. sed et si agant. ff. de jud. quia pen-  
dente Criminali causâ nulli quæstioni ci-  
vili locus est. L. fin. C. de ord. jud. nisi civili  
controversiæ principaliter motæ quæstio  
incidiat criminalis, tunc enim Judex suâ  
sententiâ super principaliter latâ, utramq; quæ-  
stionem dirimet: quia sublato Principa-  
li, accessorium quoq; corruit L. cùm Prin-  
cipalis. ff. de reg. jur. cap. accessorium eodem tit.  
in 6. Civiliter verò, & non criminaliter de  
crimi-

criminis conventus, potest actorem reum  
 convenire de alio criminis civiliter, coram  
 iudice competenti, id est, qui sit iudex  
 competens reconventi. Marant. 4 p. dist. 6.  
 n. 68. Deinde haec doctrina locum non ha-  
 bet in causa appellationis judicialis. L. 1. ff.  
 eum qui appellavit in provincia defendi. quia  
 appellatio necessitate cogente communi-  
 ter interponitur ob injuriam quam ap-  
 pellans putat sibi factam esse, ut proinde  
 casset ibi ratio. cit. L. cum Papinianus. De-  
 niq; non permittitur actori reconvento,  
 reum reconvenire, ex communi DD. ne  
 detur processus in infinitum, sibiq; mu-  
 tuo actor & reus officiant. An proponi  
 debeat ante, vel post litem contestatam  
 reconventio? Dico ante vel post litem  
 contestatam etiam ad sententiam usq; pro-  
 ponni posse, quia in novel. 96. §. illud ver. sensi-  
 mus. dicitur non prius reconventionem  
 moveri posse coram iudice, quam prior  
 lis, conventionis finem acceperit, atque  
 hoc sit per sententiam. L. 1. ff. de re iud. Er-  
 go. Neque obstat, quod juxta quosdam  
 text⁹, reconventio statim moveri debeat,  
 vel in continent. ut cap. 1. de mutuis petit. ni-

hil enim aliud significatur, quam durante  
adhuc eodem iudicio, ut simul terminen-  
tur cum causa reconventionis. *cit. ver. san-  
cimus.* alioqui pari passu non ambulabit,  
neq; Judex utramq; causam conventio-  
nis, & reconventionis simul expedit, unâ-  
que sententiâ terminabit, quod tamen  
omnino fieri convenit: ita vero, ut prius  
re⁹ ad libellum actoris respondeat, dein  
de actor ad libellum rei. *L. qui appell. 29. ff.*  
*Dejud.* qui si actor ad libellum reconven-  
tionis respondere nolit: neque reus ad  
eius libellum respondere compelletur,  
priusquam actor offerat respondere li-  
bello ipsius rei. *cap. 1. & 2. de mutuis petit.*  
& favet *cap. fin. de jur. calum.* Illud adhuc  
expeditum non est, num res in libello ex-  
primenda sit? Assero 1. quandoq; expri-  
mendam esse, ut in actionibus singulari-  
bus sive specialib⁹, seu personalis, seu rea-  
lis actio fuerit: infectæ quidem materiae  
pondus, signatae numerus, factæ species,  
imò & mensura, cum res mensurâ conti-  
nebitur; in homine nomen, fundi nomen  
eiusq; qualitas, & confinia, aliás est justa  
appellandi causa. *Panor. cap. 1. & 4. de mu-*

thus

*tuis petit: & Canonistæ communiter. L. si rem lata. i. ff. de rei vind: Affero 2. in actionibus universalibus, & generalibus non esse exprimendam in libello rem. L. si quo ff. de petit. hæred. & ibi DD. ut quando petitur hæreditas, aut Ecclesia cum juribus & pertinentiis suis. cap. cùm ad sedem. den. stit spoliat, aut quando sunt actiones mandati, tutelæ. L. Licet. C. de jud. & ibid. DD.*

## C A P U T IV.

### DE PROSECUTIONE EIVSDEM *Ordinis.*

## T I T U L U S VI.

### DE LITIS CONTESTATIONE.

## C A S U S.

**T**Yrannus ad exhaurienda cuiusdam opulenti & jactabundi bona, sub gravi poena præcepit, ut aliquum litteras edoceret. Ille impossibile ait fore: nisi multum temporis in erudiendo sibi a sino suo concedatur. Petere quantum vellet iussus, decennium impetravit: derisus ab omni-